


I. N. J.

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

PURGATIONE ANIMARUM SEPARATARUM,

Quam

DEO AUXILIANTE,

Sub Præsidio

DN. MICHAELIS MÜLLERI,

SS. Theol. Doctoris & Professoris, Ecclesiæ Tubingensis Pastoris,

Patroni multis venerandi nominibus,

defendet

JOHANNES GODOFREDUS TULLA,

Augustan. SS. Theol. Stud.

IN AULA THEOLOGORUM NOVA

ad diem 4. & 5. Decembris

horisque solitis.

TUBINGÆ,

Typis JOHANN. CONRADI REISI.

Anno M DC XCVI.

VIRO

Illustri ac Gratioso

DN. LEONHARDO WEISSIO,

Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliario, & inclutæ Reipubl. Augustanæ Duum-Viro PRÆFECTO.

VIRIS item

Generosis, Maximè Strenuis, Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis ac Spectatissimis

DNN.

Ecclesiarum August. Confess.

CURATORIBUS ET ADJUNCTIS,

Collegiique Augustani

ADMINISTRATORIBUS,

&

Gymnasii Annæani

SCHOLARCHIS,

DOMINIS FAUTORIBUS ATQUE PATRONIS ÆTERNUM COLENDISSIMIS

Theologicum hocce Specimen

humilimo observantiæ cultu sacrum vult

devotissimus Cliens

JOH. GODOFREDUS TULLA, Respondens.

Nec Non

VIRIS

Generosis, Maximè Strenuis, Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Prudentissimis atq; Splendidissimis

DNN.

DN. DAVIDI à STETTEN, Reipubl. Patriæ V.I.Viro.
DN. JOH. MATTHIÆ KOCH, à Gailenbach.
DN. HENRICO LANGENMANTELIO.
DN. ANTONIO CHRISTOPHORO LANGENMANTELIO.
DN. JOH. CHRISTOPHORO KOCH à Gailenbach.
DN. MARCO CHRISTOPHORO WELSERO.
DN. JOHANNI à STETTEN.
DN. MELCHIORI MATTSPERGERO.

Senatoribus Reip. Augustanæ ac Consuli.

DN. M. JOH. GEORGIO BROSSERO, Gymnasii Patrii Præceptori meritissimo.

Dominis Mæcenatibus, Patronis atque Cognato, Spectatissimis atque Honoratissimo,

Primitias hasce Academicas
humilimo mentis affectu
in debitæ gratitudinis declarationem
Studiiq; sui ulteriorem commendationem
consecrat

Respond.


Michael Müller, Theol. D. & Prof.

Eximio & indefesso Theol. Cultori, Domino *J. G. TULLA*,

Salutem!

NOn sine dulci memoriâ recolo *Parentis* Tui desideratissimi vitam, inter Theologiæ Cultores, me Philosophiæ studiis tunc operam navante, hîc Tubingæ præclarè actam, quem juxta cum Commilitonibus *Bardilino*, *Hasenbarto*, *Rumetschio* melioris notæ tunc Studiosis aliisque, in publico etiam selectioris eruditionis specimina edentem non semel audivi; Majori tamen cum animi delectatione *Augustæ Vindelicorum* eundem ante hos tredecim & quod excurrit, annos, Verbi Divini jam diu tunc Ministrum præclarissimum gratulabundus *resalutavi*, exquisitâ plerubique laude ab auditoribus celebratum, cujus etiam colloquiis non unâ vice inter amicos me oblectavi. Nunc verò cum in Te, *Tulla Doctissime*, Parentem redivivum quasi intueor, *paterna* diligentiæ in studiis sacratioribus *vestigia* legentem, rem suam alacriter & polemicè & homileticè agitantem, eâq; viâ laudatiss. Dominum *Fratrem*, Verbi quoq; divini Ministrum, egregiis ausibus insequentem; Sanè ex animo gratulor *Familiæ Tullanæ*, nihil magis habens in votis, quam ut, peracto apud nos *cursu Academico*, digna laboribus Tuis præmia insequantur. *Specimen* verò Theologicum, quod in publico, examinatâ animarum separatarum purgatione exhibebis, favorem Tibi *Virorum bonorum* facilè conciliabit, quibus in bonis literis proficiendi studium displicere nunquam potest; quod ut felicissimè eveniat, animitus exopto.

Scribebam Tubingæ è Musæo d. 22. Novemb. 1696.



I. N. J.


PRÆFATIO.



Controversiæ, quæ nos inter & *Romano-Catholicos*, ut & *Calvinianos*, *Socinianos*, imprimis hodiernos *Fanaticos* versantur, si vel ad captum lectorum, vel ad rei momenta æstimantur, hoc habent fatum, ut quo remotiores sunt à vulgari notitia, communique Doctorum pertractatione, eò plerunque majoris habeantur, unà cum ipsis Scriptoribus, qui inexhausto labore in devia illa se insinuant, & tenebris illis lucem aliquam affundunt, posthabitis & vix tanti æstimatis illorum studiis, qui obvia & plerisque aliquam partem nota solicito labore pertractant, & ex rei fundamento explicant; Ita homines in abditis sive gloriam seu umbram potius sapientiæ haud vulgaris venamur, opinione nostrâ, quam rei veritate majores. Nobis verò propemodum *diversa* perplacet sententia; qui equidem maximoperè laudamus cuncta illorum studia, quibus aliquid profectuum in quâcunque literaturâ sudore suo & indefessa diligentia impetrant, cum & liber naturæ, & historiarum Theatra & artium Mechanicarum Acroateria nonnisi curiosissima ingenia requirant, ipsaque experientia mater fœcundissima nos doceat, quantum ætas hæc nostra majorum nostrorum annos elegantiorum artium, inventorum, eventuum invidenda propè gloria superet; Qui tamen in Theologiæ stadio decurrunt, illi prudenter omninò & publicâ cum utilitate non minus horas suas in scribendo collocare mihi videntur, si, non neglectis, quæ subtiliora sunt, suumque etiam locum habent, ea tamen sæpius meditentur, doceant & scribant, quæ apta nata sunt hæresium fundamenta subruere, & pro ratione donorum, cuique suâ mensurâ dispensatorum, solicito labore fraudes & imposturas seductorum, luci publicæ omniumq;

oculis exponere. Eo certè consilio hâc vice aliquas theses pro Exercitatione Academica de purgatione Animarum separatarum à peccato exponere allubescit; ne verò ullibi à regia veritatis viâ illæ aberrent, faxit, qui est via, vita & veritas.

§. I.



FActuri itaque verba de argumento nostro (1) *purgationis* terminum consideramus, qui non notat nobis aut adversariis etiam Romano-Catholicis, purgationem ab Apostolo assertam, seu emundationem sanguine Christi ejusque merito factam 1. Joh. 1. 7. quæ *ex rei veritate* ad omnes omninò homines spectat, considerata ex *Voluntate Dei antecedente*, in quâ Christus est agnus Dei tollens peccata mundi. Joh. 1. 29. ex *voluntate autem Dei consequente* expensa, actum ipsum emundationis per fidem designat, qui cum physicus non sit, omnem peccati rationem & fomitem in fidelibus abolens. 1. Joh. 1. 10: moralis tamen est, & per imputationem utriusque obedientiæ Christi reatum propter culpam contractum omninò dissolvit, & fidelium coram tribunali divino absolutionem fundat; nullâ factâ pœnæ æternæ in temporalem mutatione, quæ & ἄγραφος est & ἀντίγραφος, & merito Christi infiniti valoris dedecorosum, quâ de re suo loco. Ex *sententia verò adversariorum* significatio illa purgationis etiam non potest obtinere, quia comminiscuntur talem animarum emundationem; quæ *separationem illarum à domicilio corporis* demùm sequitur, cum Apostolus agat de tali καθαρισμῷ, qui obtinet in statu viæ, qui fidelibus contingit eo tempore, quo Evangelium de Christo ipsis annuntiatur, & vocantur ad societatem illam & unionem spiritualem cum DEO v. 3. cum fieri sine dubio non possit, ut igne illo, qui intensivè infernalis est, torqueantur, qui per reconciliationem ex fide, amicitia Dei fruuntur, qui adhuc in viâ sunt ad cœlestem patriam, & suavissima Evangelii consolatione perfunduntur, imò pacem habent cum DEO per fidem in Christum. Rom. 5. 1. *Purgatio* igitur ex mente adversariorum talis intelligitur, quæ fit post mortem, & *in quâ*, ut verbis Decreti Tridentini Sessione IX. die 3. Dec. 1563. publicati utamur, *animæ in purgatorio detentæ, fidelium suffragiis, potissimum verò acce-*

acceptabili altaris sacrificio juvantur; sc. ut tali adjumento ab omni inquinatione liberentur; quia, ut *Costerus* docet in Enchirid. p. 291., qui cum reatu pœnæ temporalis ex hâc vitâ migrant, neque rectà proficiscuntur in cœlum, quo nihil inquinatum aut immundum ingreditur, neque in infernum, cum non mereantur pœnam æternam. Est igitur locus aliquis medius, in quo à peccatis animæ *purgantur*, quæ jam in gratia Dei constitutæ pœnis solùm temporalibus peccata sua expiant. Illa autem purgatio aut expiatio, an fiat ex *opere operato* acceptabilis illius sacrificii altaris absque fide & bono motu, aut actu charitativo sacrificuli salutem animæ purgandæ intendentis, & quâ ratione fidelium suffragia operentur, an *per modum meritorum*, an per modum *mediorum* applicantium, & consequenter, an actione aliquâ physica, non reatum solùm pœnæ temporalis dissolvente, sed & animam emundante per infusionem sanctitatis inhærentis, imò ipsam maculam peccatorum extergente; hæc illius generis dogmata sunt, ut ea inventoribus suis dilucidanda interim relinquamus, donec nostram quoq; *θῆκε[illegible]* discursuum catena exigere videbitur.

§. II.

Talem vèrò purgationem sive mundationem à peccato, ex mente quidem Papistarum, metuere an sperare debent *animæ separatæ*, animas subjectum esse illius emundationis, verba docent textus Tridentini modo allegati, nempe corporibus seu domiciliis suis exutas, sive à consortio cum corpore organizato mediante morte, sejunctas. Hoc est, quod vult quoque *Petrus à Soto*, qui Confessioni Würtembergicæ se opposuit; qui subjectum hujus purgationis facit *fideles, qui ex hâc vitâ decedunt non plenè purgati, simulque duos facit credentium gradus, quorum alius sit purgatorum omninò, alius verò adhuc culpis aut reatibus subjacentium, qui tamen non excludunt à regno Dei.* Vid. Tom. I. Conf. Württ. p. m. 109. in Scholis Cathol. Idem docet ipse *Cardinalis Bellarminus*, qui subjectum purgationis illius dicit esse *animas in carcere purgatorii post hanc vitam constitutas, quæ in hâc vitâ non planè purgatæ fuerunt.* Bell. Tom. II. de Ecclesia infra terram, quæ est in purgatorio. cap. 1. p. m. 390. b. Quâ verò ratione in *animas* ille actus purgandi vel emundandi transeat, idipsum explicaturus

Bel-

Bellarminus dicit: *Certum esse unam purgatorii pœnam esse carentiam visionis divinæ, non enim, ait, possunt animæ illæ non dolere, quod videant se propter suas culpas impediri à fruitione summi boni, quæ vocatur pœna damni, certum est præter hanc pœnam esse quoque aliquam aliam pœnam, quam Theologi vocant pœnam sensus, quæ consistit in aliquo dolore, proveniente aliunde, quam ex carentia visionis Dei; ut enim qui peccat, sese avertit à summo bono, & convertit se inordinatè ad creaturas, ita postea puniri debet non carentiâ saltem summi boni, sed etiam afflictione inflicta ab aliquo alio creato objecto. Igitur certum est, in purgatorio, sicut etiam in inferno esse pœnam ignis, sive iste ignis accipiatur propriè sive metaphoricè, & sive significet pœnam sensus sive damni, ut quidam volunt.* Bell. l. c. c. X. Parum tamen memor eorum, quæ modo dixit Bellarminus, c. XI. statuit, communem esse sententiam Theoll. ignem illum *purgatorii verum & proprium ignem esse, & ejusdem speciei cum nostro elementari.* Quod probat authoritate, licet non expressâ, Scholasticorum, Gregorii & Augustini, imprimis verò dictorum Scripturæ de igne damnatorum, qui cum communis sit futurus diabolo & angelis ejus, ideoque in purgatorio etiam posse agere in animas; de modo verò illo agendi in animas scribit, illum non constare in hâc vitâ; *possibilitatem* tamen ita probat: *Sicut potuit uniri spiritus carni, ut illi vitam communicaret, ita potest uniri spiritus igni, ut ab illo pœnam trahat, licet modus utrimque unionis sit prorsus incognitus.* capite verò XIV. Bellarm. docet, pœnas hasce purgatorii esse *atrocissimas* (nempe damni & sensus) cum quibus nullæ pœnæ hujus vitæ sint comparandæ, quod ipsum pluribus probat tùm discursibus physicis, tùm explicatione Thomæ & Bonaventuræ, quæ hîc repetere non placet.

§. III.

Mens igitur sine dubio Papistarum est & per allegata esse debet, quod per & propter perpessionem pœnarum illarum purgatorii sufficiens vindicta sumatur pro peccatis, quæ in animabus post mortem supersunt, sive quorum reatu eâtenus constringuntur, ut præstita satisfactione à Christo pro pœnis æternis, ab animabus tamen satisfactio fiat divinæ justitiæ pro pœnis temporalibus, dolore autem illo purgatorio eòusque progrediente & intensivè & extensivè, ut proportio sit inter reatum ex pec-

peccatis post mortem remanentem, & pœnam illam purgatoriam; dimitti tunc in regnum gloriæ à justitiâ divinâ talem animam, antea, stante adhuc commercio cum corpore & mediante pœnitentia Papistica, cum Deo reconciliatam, quæ tamen maximè adjuvetur, ejusque liberatio ex purgatorio igne maturetur, si frequentes pro tali in specie animâ habeantur missæ, si indulgentiæ Papales pro ipsâ præsenti nummo redimantur, imprimis verò opera supererogatoria religiosorum eidem communicentur, & coram Deo quasi in solutionem numerentur, accedentibus imprimis orationibus sive intercessionibus superstitum aut totius Ecclesiæ pro animabus in igne illo emundatorio ardentibus.

§. IV.

Patefacit hanc mentem Ecclesiæ Romanæ Martinus quoque *Becanus Lojolita*, qui aliquot conclusionibus totum negotium explicat; *Prima Conclusio: Animæ justorum existentium in purgatorio duplici pœnâ afficiuntur, unâ damni, alterâ sensus. Pœna damni in eo consistit, quod debeant carere cœlesti gloriâ, donec omninò purgatæ sint, &c. Pœna sensus in eo consistit, quod patiantur aliquem cruciatum ab igne purgatorii qui acerbior est, quam ulla calamitas aut tribulatio hujus vitæ, quia æquitas postulat, ut, qui in hâc vitâ neglexerunt agere pœnitentiam pro suis peccatis, cogantur postea graviorem pœnam sustinere, quàm hic sustinuissent, quia post hanc vitam est tempus justitiæ, in quo rigidius agitur cum illis, qui pœnam meriti sunt. Conclusio secunda: Manent autem in illâ pœnâ, nisi aliunde juventur, donec perfectè expiatæ sint, proportionatâ reatui pœnâ temporali, cui obnoxiæ sunt. Conclusio tertia: Possunt verò juvari per suffragia viventium, ut citius liberentur ex illâ pœnâ, quam alioquin liberarentur, si suffragia pro illis non fierent. Sunt autem tria genera suffragiorum. 1. Sacrificium Missæ. 2. Oratio. 3. Opera quælibet pœnalia & satisfactoria, ut eleemosynæ, jejunia, peregrinationes & similia.* Vide talia & plura in Theol, Schol. Becani p. m. 1443. additis discursibus quoque antecedentibus.

§. V.

Patetque hæc sententia Ecclesiæ Romano-Catholicæ vel maximè *ex ipsâ praxi & experientia*; nullum certè templum aut sacellum in toto Papatu reperire licet, in quo non sacrificia mis-

 satica

fatica & suffragia pro defunctis offerantur, nullum monasterium aut Clericorum Collegium invenies, in quo fundationes in quietem animarum separatarum, quibus illa à peccatis seu reatu potius peccatorum mundatio coëmitur, non habeantur, quin ex hâc vitæ scenâ discedere vix potest ægrotus, lecto affixus, Romanæ addictus Ecclesiæ, qui, si imprimis lautioris sit fortunæ, parastatas non habeat Monachos, aut alia Sacerdotii Romani organa, à quibus non audiat instare tempus emendarum missarum & indulgentiarum in requiem animæ, imò cui non certatim offerantur variorum Religiosorum missæ & preces, quod concertantium Monachorum studium *Magnus* ille superioris seculi *Criticus Erasmus* in Colloquiis delineavit; quô de mundationis animarum commercio non abs re enunciare queas: *Laudat venales, qui vult extrudere merces.*

§. VI.

Nobis verò, qui *Augustanæ Confessioni* addicti sumus, expositum hoc de animabus separatis purificandis dogma Romanũ totum & ex omnibus circumstantiis *displicet*, idque tanquam seductorium, & à patre mendacii profectum pronunciamus, sequentibus argumentis persuasi. *I.* Quodcunque dogma peccatorum expiationem & animarum salutem concernens destituitur Scripturæ θεοπνεύστου testimoniis, illud in numerum dogmatum orthodoxæ Ecclesiæ recipi non potest. Atqui tale est dogma de animabus post mortem igne purgandis & emundandis. E. *Major* propositio multis ex rationibus potest confirmari, & *quidem 1. exinde*, quia dogma, quod concernit expiationem peccatorum ex ratiocinio humano adinveniri nequit, cui non constat, an Deus velit admittere satisfactionem sive propriam, sive alienam pro peccatis, cum ex justitia nocentes animas & reatu peccatorum constrictas æternæ damnationi addicere possit, humanæque indagini tota de sacrificiis doctrina sit incognita, impervia, imò ne quidem cogitabilis; *2. ex eo*, quia dogma, quod concernit salutem animarum, sive in hâc vitâ sive post mortem promovendam, ex revelatione haberi necessariò debet, cum modum & media salutis præscribere solius Dei sit, qui salutem illam conferre potest; *3. ex eo*, quia, quæ Pontificii proferre solent de purgatione illa animarum post mortem ex Scriptis apocry-

cryphis, illa fundare hoc dogma non possunt, tanquam profecta ex voluntate & adinventione merè humana, cum tamen fidei dogmata depromenda sint ex sola Scriptura Θεοπνεύστῳ, quæ potest, & ex intentione Dei debet homines, peccatorum reatu constrictos, σοφίσαι εἰς σωτηρίαν. 2. Tim. 3. 15.

§. VII.

Minor propositio nostrum assertum principale continet, quod tàm diu manet sartum & inviolatum, donec ex Scripturâ Θεοπνεύστῳ ab Ecclesia Romana oracula proferantur, quæ sententiam nostram evertant, quod infelici hactenus conatu ausi sunt *Bellarminus, Becanus, Gregorius de Valentia, Alphonsus Salmero*, &c. qui ultra locum 2. *Maccab.* 12. 13. *seqq.* ex Scripturis Canonicis provocarunt quidem ad dicta (α) Matth. 12. 32. *Peccatum in Spiritum S. non remittetur neque in hoc, neque in futuro seculo.* Ex quo colligit Bellarm. *E. in futuro seculo* & post mortem aliqua tamen remissio locum habet, & in specie remissio pœnæ temporalis in purgatorio. (β) ad dictum Pauli: *Opus ejus, quale fuerit, ignis probabit, quando venerit dies Domini.* 1. Cor. 3. 15. Denique (γ) ad verba Christi: Matth. 5. 27. *non exibis inde, donec reddas novissimum quadrantem.* E. pro minutissimis peccatis in purgatorio est solvendum. Quid verò de hisce locis sentiendum sit, *suo loco* videbimus; Adducentes interea testimonia ipsorummet Pontificiorum nonnullorum, qui agnoverunt, doctrinam de purgatorio destitui S. Scripturæ suffragio. *Petrus à Soto*, qui Confessioni nostræ Württembergicæ sese opposuit, *non est*, inquit, *cur mirari debeamus* (nempe quod scripta divina certi quid & perspicui de purgatorio non tradiderint) *cum certum sit multa sine Scriptura esse tradita.* Negat quoque argumentum ab ἀγραφίᾳ desumptum esse efficax ad negandum purgatorium, *cum constet multa non scripta esse, eorum quæ credenda sunt, ubi Ecclesiastica authoritas sufficiat.* Tom. I. Conf. Württ. pag. m. 111. in assert. Catholicâ. B. noster *Gerhardus* in Confess. Cathol. p. m. 941. citat quoque *Episcopum Rossensem Joh. Fischerum* hæc scribentem: *Tametsi ex Scripturis non possit probari purgatorium, veritas ejus nihilominus cunctis Christianis est credenda.* Ut & *Suarezium* Tom. IV. p. III. disp. 45. Sect. 1. agnoscentem, infirma esse, quæ pro adstruendo purgatorio *ex Scripturis* afferuntur.

§. VIII.

II. Quodcunque dogma evertit indubia S. Scripturæ asserta, & cum iisdem adversis cornibus pugnat, illud in numerum dogmatum orthodoxorum recipi nequit, sed potius existimandum est, proficisci à Patre mendacii. Atqui doctrina Papistarum de animarum post mortem satispassione pro pœnis peccatorum suorum temporalibus ita se habet. E. *Major propositio* probatione nullâ opus haberet, nisi *Pontificii* existimarent, in vim articulorum fidei transire etiam illa, quæ dependeant *ex verbo tradito*, imprimis verò *ex decisione Ecclesiæ*, & in ultima resolutione *Pontificis Rom.*; quam equidem hypothesin hâc saltem vice seponimus, & propositionem nostram probamus *(1)* quia S. Scriptura Canonica, quanta quanta est, Θεόπνευστος est, *ab ipso DEO, veritatis fonte, profecta*, & ex primariâ hâc ratione à seipsa dissonare aut sibimet contradicere non potest. 2. Tim. 3. v. 16. Num. 23. 10. Imò si vel maximè probaretur infallibilitas decisionum dogmaticarum tanquam privilegium peculiare Sedi Romanæ divinitus concessum, ἀντιλογίᾳ tamen tales decisiones laborare nunquam possent; Eandem propos. majorem probamus *(2) ex naturâ dogmatum orthodoxorum*, quæ talia sunt propter inexistentiam in verbo revelato, dudum in Scripturam Θεόπνευστον relato, sive inexistentia illa virtualis sit sive formalis, quod enim ex propositione revelata legitimè sequitur, id eidem jure meritòque consanguineum censeri debet; Quæ sine dubio causa est, ob quam Cardin. Bellarm. cujus vestigia Religionis Socii ut plurimum sequuntur, tàm violentus est in nonnulla dicta Canonica superius citata, ut, cum desint in Scripturâ S. assertiones formales pro purgatoriis post mortem satispassionibus, uti vocantur in Form. Conc. p. m. 83., confirmandis, scil. juxta tenorem circumstantiarum thes. 3. & 4. enumeratarum, ad virtualem in Scripturâ Sacrâ inexistentiam provocet, &, frustraneo licet conatu, catenas consequentiarum nectat; deniq; Majorem probamus (3) *quia S. Scriptura est principium fidei unicum & monadicum*, hodiè post Canonem clausum, non amplius coadmittens revelationem quandam collateralem dogmaticam, quod nostri Theologi hactenus pluribus defenderunt, tùm contra jactantiam Ecclesiæ Rom. quæ immediatam directionem

nem Spiritus S. in decisionibus Papalibus, & in novis fidei articulis condendis de capite suo Rom. Pont. asserit, tùm contra *hodiernos Neo-Prophetas*, qui explicationes solùm infallibiles oraculorum S. Scripturæ nonnullis immediatè revelari noviter docent, utrinque non sine *Enthusiasmi* vanitate, quem imprimis Ecclesiæ Romanæ impingit Form. Concord. in Artic. Mantuanis c. VIII. asserendo: Dann das Papstumb auch ein eitel Enthusiasmus ist / darinn der Papst rühmet: Alle Rechte seynd im Schrein seines Hertzen / und was er mit seiner Kirchen urtheilet und heißt / das soll Geist und recht seyn / wenns gleich über und wider die Schrifft oder das mündliche Wort ist. & quæ ad finem capitis sequuntur p. m. 147. 148.

§. IX.

Minor propositio, quod scil. doctrina de animabus post fata emundandis laboret ἀντιγραφίᾳ, & clarissima S. Scripturæ dicta oppugnet, ita probari potest; quia (1) S. Scriptura solùm *duas facit hominum classes*, credentes nempe & incredulos, bonos & malos, oves & hædos. Joh. 3. 18. Matth. 7. 13. 14. cap. 25. 32. Gal. 6. 8. quos Scripturæ locos evertit hypothesis Papistica de tribus hominum ordinibus, perfectè bonis, perfectè malis, & mediis, quorum hisce, qui cum peccatis venialibus & pœnis temporalibus exolvendis discedant, purgatorium sit præparatum, reliquis certo respectu ad æternam gloriam aut damnationem dimissis. Ubi frustranea est Exceptio Pontificiorum, Bellarm. Becani, &c. loca talia Scripturæ esse interpretanda *de tempore extremi judicii*, in quo tandem, omni Satisfactione cessante, duo hominum ordines maneant, beati & damnati; partim quia satisfactio per ignem post mortem supponitur, quæ τὸ κενὸν ὄνομα; partim quia credentes ita per fidem justificantur, ut etiam reatus ad pœnas temporales dissolvatur, cum οὐδὲν κατάκριμα sit in iis, qui per fidem in Christo sunt. Rom. 8. 1. partim quia Christus etiam satisfecit pro peccatis venialibus, quia pro omnibus. 1. Joh. 1. v. 7. Ad Minoris nostræ probationem pertinent (2) *dicta Scripturæ, quæ* εὐθανασίαν *piorum asserunt*, quod scil. in Christo per fidem *obdormientes nulla amplius tormenta formidare*, sed de superatis omnibus exultare debeant, *ut cupiant dissolvi*. Phil. 1. 23. *ut abesse debeat omnis contristatio propter fratres* dor-

dormientes. 1. Theſſ. 4. 13. quod *ſtatim cum morte certamen ſit finitum*, & *corona juſtitiæ acquiſita*. 2. Tim. 4. 6. ſeqq. Quæ tamen omnia Scripturæ aſſerta omninò evacuantur, ſi à morte ſtatim fideles ad dolores rapiuntur, ab infernalibus nonniſi duratione differentes, per longum tempus tamen ſuſtinendas; quæſo, an hâc ratione in morientibus pax, quies, fiducia, & deſiderium beatæ ἀναλύσεως locum habere poteſt? Neque quidquam ad rem facit exceptio, dari quoque *perfectè Sanctos*, qui ſine peccatis venialibus moriantur, de quibus agant oracula citata; *partim ex eo,* quia omnes ſancti habent peccata adjacentia, qui utuntur Oratione Dominica; partim ex eo, quia ex mente Pontificiorum omnibus incumbunt ſatispaſſiones pro pœnis temporalibus, à Chriſto non præſtitis, ſuſtinendæ. Imprimis verò oppugnantur per doctrinam de hisce poſt mortem ab animabus in igne ſuſcipiendis paſſionibus (3) *illa S. Scripturæ dicta, quæ tempus,* redeundi in gratiam cum Deo, definiunt eſſe vitæ durantis ſpacium, qualia ſunt Eccleſ. 9. 5. 6. imprimis. 10. c. 11. 3. Joh. 9. 4. Gal. 6. 8. poſt fata igitur janua gratiæ clauſa eſt, & ſpes omnis reconciliationis cum Deo decollavit.

§. X.

III. *Quæcunq;* doctrina eſt inimica fidei analogiæ, in primariis illius articulis, quos labefactat, illa ab Eccleſia Orthodoxa recipi non poteſt. Atqui doctrina Eccleſiæ Romano-Catholicæ ſæpius jam allegata talis eſt. E. *Major radiat* ſuamet luce, quod enim non eſt analogum τύπῳ ὑγιαινόντων λόγων, quod diſſonat ab harmonia articulorum fidei, quod auſu hoſtili & inimico luxat membra catenæ Salutaris pretioſiſſima, id ipſum pro conſanguineo fidei Orthodoxæ agnoſci nunquam poteſt. *Minorem* verò propoſitionem ex ſequenti diſcurſu probari poſſe confidimus; quia doctrina Eccleſiæ Romano-Catholicæ de *animabus ſeparatis* pro pœnis peccatorum temporalibus ex peccatis ſuis venialibus, ardentibus igne purgatorio, & liberandis per ſuffragia vivorum pro mortuis, qualia ſunt *miſſa pro defunctis, vigiliæ ſive orationes ſolennes pro mortuis, ſeptimæ & triceſimæ. quæ preces die ſeptimo & triceſimo à defuncti morte offeruntur, Exequiæ anniverſariæ, ſuffragia omnium animarum die, ut & balnea animarum, &c.* Doctrina, inquam, hæc impugnat (α) *immutabilem juſtitiam DEI,*

ex

ex cujus dictamine, ubi culpa desiit, nullus propriè sic dictæ pœnæ locus restare amplius potest, quia pœna originem & radicem trahit ex culpa & violatione legis divinæ commissâ, ob quam legislator ille summus in creaturam sibi obnoxiam jus habet vindicandi suam ἐξοχὴν pœnarum irrogatione, quod si verò in creatura rationali nulla omninò culpa, eaque innocens est in oculis creatoris, quo in statu quoque versatur, cui propter fidem in Christum remissa sunt peccata, & omnis culpa deleta, eô in casu justitia divina à creatura innocente pœnas temporales sumere, & infernalibus doloribus eandem addicere per multas mensium vel annorum decades, ne dicam centurias, nunquam potest, hoc ipsum enim est, quod in nostris quoque Ecclesiis defendimus *contra Supra-Lapsarios* ex Reformatis, qui docent, omni dominium DEI absolutum in suam creaturam rationalem eò se extendere, ut *innocentissimum* quemque, salvâ justitiâ suâ, æternis inferni doloribus addicere possit, quod nos juxta *revelatum DEI verbum* fieri posse negamus, imprimis contra Sam. Rhetorfort. in disp. de provid. DEI.

§. XI.

Eadem Pontif. doctrina impugnat (β) *acropolin fidei Christianæ de justificatione hominis peccatoris coram DEO.*, quæ eum in modum obtingit justificatis, ut applicatâ eis per fidem in Christum utrâque hujus obedientia, DEUS peccata fidelibus ita remittat, ut eorum non amplius recordetur. Ps. 25. 7. Ezech. 18. *22. c. 33. 16.* ut deleat instar nubis. Esai. 44. 22. ut non imputet. Psal. 32. 1. ut tam longè à se removeat, quàm longè distat oriens ab occidente. Ps. 103. 12. Atqui, si DEUS igne illo purgatorio urgeret animas separatas, nihil horum locum habere posset, imò planè nulla justificatio, nondum expiatis pœnis peccatorum temporalibus, in hâc vitâ quidem daretur, cessantibus demum purgatorii flammis, expectanda. Præterea ea est *natura justificationis per fidem*, ut removeat iram DEI, amicitiam cum eo restauret, & pacem conscientiæ revehat, ita ut nihil damnationis sit in credentibus. Rom. 8. 1. ut DEO servire possint sine timore. Luc. 1. 74. ut fruantur postea amore DEI planè paterno. Rom. 8. 14. 15. 16. c. 5. 1. Psal. 103. 13. collata cum vers. 3. seq. Atqui hæc omnia doctrina purgatorii *extinguit*, ira DEI non est remota ab

anima

anima infernalibus doloribus affectâ, & consequenter amicitia cum DEO nulla redintegrata, nedum ut paterni amoris specimina ex pœnis damni & sensus per multas annorum decades continuandis sese ostendant; Nos ita arguimus: qui patiuntur in purgatorio, vel sunt verè reconciliati cum DEO & justificati, vel non: si prius, quod concedunt, & in cassum licet, asserunt Pontificii, nihil manebit in iis emundandum, abluendum, expurgandum, cum per infusam gratiæ lucem omnes peccatorum tenebræ sint depulsæ & fugatæ; *Si posterius*, E. qui in statu gratiæ non moriuntur, illi referendi sunt ad perfectè malos, in infernum, non in purgatorium, juxta hypothesin Pontificiam, remittendi.

Impugnat dogma hoc Papistarum (γ) *fundamentalem fidei Christianæ doctrinam de satisfactione perfectissima Christi* pro nostris peccatis, quorũ pœnas in se suscepit. Esa. 53. per totum; tanquam agnus DEI tollens peccata mundi. Joh. 1, 29 factus propitiatio pro nostris & totius mundi peccatis 1. Joh. 2. 2. hinc colligimus: Aut satisfactio Christi est perfecta, ita ut pro omni eo satisfecerit, quod ex peccatorum culpâ in nos redundare debuit, aut non; Posterius nemo dicet. Si prius, etiam pro pœnis temporalibus satisfecit, quas in nos ex culpâ redundare Papistæ agnoscunt, quin imò si meritùm Christi tantæ est dignationis in oculis DEI, Judicis justi, ut illius intuitu æternas remittat pœnas, quantò magis sufficere illud potest ad temporales pœnas, à credentibus imprimis & in statum gratiæ receptis averruncandas; idque vel maximè ideò, quia Papistæ nobiscum agnoscunt, Christum *etiam pro culpâ* DEO satisfecisse, ex quo sponte sequitur, nihil superesse in igne purgatorio expiandum, cum remissa culpâ totum debitum sit solutum, neque conveniat cum justitia DEI duplex pro unâ eâdemque culpâ aut pœnâ satisfactio.

§. XII.

Nihil ad rem facit, quod Bellarminus *excipit*. Etsi meritum Christi sit sufficientissimum ad omnem culpam & pœnam tollendam, *applicationem tamen illius fieri per actus nostros*, nempe post Baptismum per contritionem & confessionem, mediante absolutione sacerdotis, applicari meritum Christi ad tollendam culpam,

pam, per opera autem satisfactotia (uti satispassio in purgatorio) applicari id ipsum ad tollendam pœnam temporalem. Sunt enim hæc omnia mera *rationis Jesuiticæ ludibria*, inque re tanti momenti loqui sine Scripturâ non est Viri Theologi, sed σπερμολόγυ. Probet, cui volupe est Cardinalitium figmentum defendere, oraculo quodam S. Scripturæ, per nostra opera satisfaciendo vel satispatiendo meritum Christi nobis applicari, sed hîc altum erit silentium. At vero fidem esse ὄργανον, quo meritum Christi credentibus applicatur, Scriptura docet. Joh. 3. 16. Rom. 3. 28. *Dicit porrò Jesuita:* Etsi una Christi satisfactio sufficiat, ad majorem tamen DEI gloriam, cui satisfit, & majorem hominis satisfacientis honorem, placuisse Christo conjungere nostram satisfactionem suæ, sicut una gutta sanguinis Christi sufficere potuisset mundo redimendo, & tamen Christum totum suum sanguinem effudisse, ut copiosissima esset redemptio, & homo justus adultus duplici titulo haberet jus ad eandem gloriam, uno ex meritis Christi, sibi communicatis, per gratiam, altero ex meritis propriis. *Sed meræ* iterum sunt *frandes & fallaciæ*, quas Jesuitæ discipulis obtrudere solent. Quæso, an in causa, DEO *pro peccatis* faciendi satis, idoneum potest esse tale lytrum, quod non solùm ratione suæ dignitatis proportionem nullam habet ad dissolvendum coram tribunali divino peccatorum reatum, sed ne quidem de admissione aut approbatione divina talis remedii ex S. Scripturâ certi esse possumus? imò certissimi sumus de displicentiâ divinâ circa tales adinventiones humanas. Esa. 58. 3. 4. 5. Matth. 15. 5. 6. seq. sanè si dignitatem redimentis personæ in Christo consideramus, utique *gutta aliqua sanguinis* Christi, in officio mediatorio effusa, infinitum habet æstimium, juxta præordinationem tamen DEI & Scripturæ vaticinia *rivi sanguinis* Christi fuerunt effundendi, cum ipsâ illius morte subsequente. Falsissimum verò est, satispassionem sine DEI verbo ab homine peccatore susceptam, conjungi posse sanguini Christi, ad jus gloriæ impetrandum ex propriis meritis; intolerabile est id facere ad majorem DEI gloriam, quod in summum dedecus vergit Salvatoris nostri ter Optimi, de quo toties Scriptura docet. Non est in quoquam alio salus, Act. 4. 12. Purgationem peccatorum nostrorum fecit δι᾽ ἑαυτοῦ Ebr. 1. 3. quin ipsius Salvatoris

 vox

vox eſt: Extra me non eſt ſalvator. Eſai. 45. 21. torcular calcavi ſolus. Eſai. 63. 3.

§. XIII.

IV. Tandem diſplicet nobis allegata ſæpè animarum ſeparatarum emundatio, ab Eccleſia Romano-Catholica immane quantum deprædicata, *ex ſuffragiorum pro animabus ardentibus vanitate*. Nam quæcunque ſuffragia ſunt 1. ἄγραφα. 2. ἀντίγραφα, 3. ἄλογα. 4. ridicula &c. illa ab Eccleſia Orthodoxa admitti nunquam poſſunt; Talia verò eſſe ſuffragia illa à Pontificiis animabus ardentibus adhiberi ſolita, fusè equidem probant authores ſub finem hujus theſeos allegati, ſed vel ſola recenſio eorum hoc ipſum ſatis docere poteſt. Sunt verò illa remedia, ſicut B. *Lutherus* in articulis *Mantuanis* recenſet, animabus purgandis inſervientia *Miſſæ pro* defunctis, *vigiliæ*, *ſeptimæ* & *triceſimæ*, anniverſariæ *exequiæ*, Vulgaris *ſeptimana* (quæ nempe quotannis omnibus animabus à purgatorio liberandis ſacra eſt, & in quâ omnium animarum dies celebratur) *ut & balnea ſive* Seelenbad / quæ nempe vivi poſt vigilias & miſſas, ſumptibus teſtatorum in clauſtris inſtitutas, ſimili quoque inſtituto in animarum cognatorum vel teſtatorum refrigerium ſuſtinuerunt, prout ſuffragium hoc ex ipſo Luthero explicat B. *Corpzovius* in *Iſagoge*, fidemque explicationi facit allegatis copiis literarum obligatoriarum über Vigilien und Seelmeſſen des Cloſters St. Georg zu Glaucha bey Halle/ ex quâ obligationis copiâ hâc vice brevitatis ſtudio ex Iſagoge laudata ultima ſolùm verba huc facientia adſcribimus: Von ſolchen Vigilien und Seelenmeſſen ſollen wir und wollen 8. fl. theilen unter die Verſamblung unſers vorgenandten Cloſters / und wann dann ſolche Vigilien und Seelenmeſſen gehalten ſeynd / deſſelben Tags ſollen wir vorgenandte Aeptiſſin/ und alle unſere Nachkommen unſere Badſtube ja zu gleicher Zeit denen Jungfrauen heitzen laſſen / darvor ſolle man alle Jahr den 9. Gulden geben vor Holtz und vor Lohn/ und was man darzu bedarff. Darnach ſolle man den 10. Gulden geben an vier Theilen / und je einen Theil zu Bier / ſo die Jungfrauen nach dem Bad unterſich theilen ſollen/ rc. Gegeben nach Chriſti unſers HErrn Geburth 1440. am 1. Sonntag in der Faſten/ als man ſinget in der H. Kirchen/ Invocavit. Quibus ſuffragiis in ſublevandis animabus ardentibus additæ quoque ſunt

in

in Papatu *peregrinationes ad loca sancta, fraternitates* & earundem merita, vivis & mortuis communicanda, imprimis verò *indulgentiæ* parato nummo etiam pro animabus è purgatorio liberandis coëmendæ. Quæ omnia, prout sacris literis ignota, iisdem ut & ritibus antiquis adversa, nugatoria, impia, blasphema, absque hæsitatione cum B. Megalandro Luthero in laudatis supra articulis Mantuanis in Formula Concord. extantibus, rejicimus, lectoremque brevitatis causa remittimus ad B. Chemnitium in Exam. Concil. Trident. parte III. à pag. m. 107. usque ad pag. 112, ubi hæc tandem addit: Et breviter *purgatorium mater, fons & origo est omnium imposturarum totius Papatus*. B. Gerhardum LL. CC. Tom. VIII. p. m. 117. seqq. Confess. Cathol. lib. I. part. II. artic. 9. p. m. 940. seqq. B. J. Bened. Carpzov. Isagogen in artic. Smalcald. pag. m. 795. seq. B. D. Scherzerum in System. Theol. loc. 19. p. m. 556. seq. Quibus addere possumus inter plurimos ex Reform. Lud. Capellum in Theol. Salmuriensi part. II. à pag. 42. cum multis sequentibus egregiè de purgatorio disserentem.

§. XIV.

Quid igitur dicendum est *de S. Scripturæ dictis*, à nobismet supra th. 7. allegatis, quibus doctrinæ suæ colorem inducunt, quorum focus ex purgatorio igne hactenus incaluit. Sanè pro tanto Papatus commodo & emolumento per complura jam secula varii generis argumenta conquisita fuerunt, deducta (1.) *ex ritibus satisfactionum Veteris Ecclesiæ*, ex quibus, propter Christi merita, extincto culpæ reatu, & pœnâ æternâ in temporalem mutata, hanc propriis satisfactionibus auferendam censuerunt. (2.) *Ex precibus pro defunctis* in tota antiquitate fundatissimis, juxta Papistarum tradita. (3.) *Ex spectrorum* apparitionibus. (4.) *Ex Patrum Origenis, Ambrosii, Hieronymi*, imprimis verò *Augustini*, quin & *Conciliorum*, Carthaginensis Tertii, Lateranensis, Florentini & Tridentini authoritate, &c. quorum solidam confutationem *B. Gerhardus*, & ante eum in Papatu oppugnando omni nostra commendatione superior *Chemnitius* ex historia imprimis Ecclesiastica dederunt, brevitatis studio non retexendam. Ut tamen paucis doceamus, quâ ratione dictis ex S. Scripturâ citatis abutantur *Pontificii*, ipsa thesium nostrarum œconomia exigere videtur. Primò quidem *firmamentum insuperabile*

bile illis videtur locus 2. Macc. 12. 43. seq. in qua Judas Maccabæus legitur impendisse bis mille drachmas in *sacrificia & preces pro peccatis mortuorum quorundam militum, qui anathemata furati fuerant, addita monitione, esse rem sanctam & salutarem orare pro defunctis;* ex quorum verborum structurâ sequens ratiocinium extrui posse videtur: *Quodcunque* factum testatur (*1.*) de doctrinâ (emundationis scil. animarum separatarum à peccato) in Judaicâ Ecclesiâ jam ante Christum receptâ. (2.) Applicatâ ad defunctos in enormibus peccatis decedentes, & quidem (3.) pro expiatione peccatorum talium, quorum nulla in hâc vitâ fuit remissio, impetrandâ, idque (4.) mediantibus bis mille drachmis, sacerdotio Hierosolymitano ad redimendas preces pro defunctis transmissis, *illud factum* satis probat, animas separatas teneri adhuc ad satisfaciendum pro suis peccatis, juvarique multùm per suffragia vivorum præsenti ære à sacerdotio coempta. Atqui tale est factum Judæ Maccabæi citatum, E. *Major* propos. videtur firma quoad *1. membrum*, quia, quod in Ecclesiâ Judaicâ est receptum, id originem debuit scriptis Mosis & Prophetarum, qui fuerunt lecti & explicati pro publicâ doctrinâ confirmandâ. Act. 15. 21; quoad *2. & 3. membrum*, quia hoc ipsum est τὸ κρινόμενον, an post finem vitæ aliqua adhuc fieri possit pro peccatis non expiatis satisfactio, tantoperè à nostris impugnata; quoad *4. membrum* probari videtur major, tùm exinde, quia non est probabile, Judam transmissurum fuisse tantam pecuniæ vim, nisi suffragia pro defunctis coëmenda usitatissima fuissent in Ecclesia Judaica; tùm exinde, quia si novum fuisset hoc petitum, sine dubio ausui novaturienti & temerario se opposuisset sacerdotium Hierosolymitanum, quod factum non legimus, tùm denique exinde, quia factum hoc in textu tanquam pium & sanctum laudatur. Minorem verò propositionem in clarissimâ historiæ literâ per omnia membra radiare, Ecclesiæ Romanæ Dd. existimant.

§. XV.

Sed non desunt præsidia veritatis, speciosis hisce suasionibus opponenda. Nam 1. Locus ab Ecclesiâ Romanâ laudatus est desumptus *ex libro apocrypho*, ad dogmata probanda invalido, quod patet multis ex rationibus à nostris Dd. aliàs congestis.

Non

Non enim (α) conſcripti ſunt libri Maccabæorum *idiomate Ebræo*, ſed demum poſt tempora Malachiæ, & Græco ſermone. (β) non habent *teſtimonia Chriſti vel Apoſtolorum* in Nov. Teſtam. qualia habent omnes libri V. T. Canonici. (γ) Liber imprimis II. Maccab. ex quo textus noſter deſumptus, *ſemetipſum prodit*, quod non ſit Θεόπνευστος, petit enim à lectore veniam, ſi minus dignè ſcripſerit, quod alienum eſt ab Authoribus Θεοπνεύστοις. 2. Macc. 15. 39. conqueritur de operis difficultate & negotio, ſudoris & vigiliarum pleno. 2. Maccab. 2. 27. quod indignum eſt Spiritu S; ἀσύστατα trâdunt iidem libri, nam ex. gr. 1. Maccab. 6. v. 8. ſeqq. dicitur Antiochum, præ animi ægritudine in lecto mortuum, qui tamen idem dicitur obtruncatus in fano Nanneæ, & membratim conciſus. 2. Macc. 1. v. 13. 14. 15. 16. Imò probari non poteſt, (δ) quod hi libri unquam fuerint *in Canone Eccleſiæ Judaicæ*, cui equidem concredita fuere τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ. Rom. 3. 2. Quod igitur ex tali libro probare conantur Pontificii, id in ruinoſum inclinat parietem. 2. Non ſequitur, in Eccleſiâ Judaicâ aliquid legitur factum. E. id ſtatim factum eſt *conformiter libris Moſis & Prophetarum*, cum omni tempore in populo Judaico variæ ἐθελοθρησκεῖαι, imprimis ex imitatione gentium circumjacentium fuerint adoptatæ, quâ de re ſonant querelæ totius codicis Biblici V. T. 3. Ex ipsâ mente Pontificiorum hic locus non quadrat ad ſtatum quæſtionis, quia milites iſti defuncti *in flagranti peccato* vitam reliquerunt, ἱερώματα illa Jamnenſium idolis conſecrata, intra veſtes adhuc occultantes, quod quam grave & enorme delictum fuerit, ex ſeria legis divinæ prohibitione conſtare ipſis potuit. Deut. 7. 25. At verò Pontificii docent, animas illas ſaltem eſſe purgandas poſt fata, quæ deceſſerint cum venialibus, & quæ de cætero (nempe exceptis ſolùm pœnis temporalibus) ſint cum DEO reconciliatæ. 4. Non ignotum fuiſſe ſacerdotio Hieroſolymitano morem ſacra faciendi pro defunctis, inter gentiles vigentem, non negamus, quod tamen vel ſacrificia vel orationes ære coëmendæ pro defunctis *uſitatiſſimæ* fuerint, ex hâc transmiſſione bis mille drachmarum, nondum ſequitur; ſicut non ſequitur, Balak obtulit Bileamo magnam vim auri & argenti pro impetranda maledictione populi Iſraëlitici. E. in Iſraëliticâ Eccleſiâ talis male-

 ledi-

ledictio fuit moris recepti. Num. 22. seq. Posito tamen, sacra pro mortuis fuisse tunc impetranda ære soluto, potuit id fieri ex κακοζηλίᾳ gentilium, cùm Judæi ex Gentilium & Græcorum consuetudine non pauca adoptaverint; videatur vel maximè locus 2. Macc. 4. 10. Ubi hæc verba leguntur: *Jason igitur, cum Sacerdotium & Principatum obtinuisset, statim ad gentiles ritus contribules suos transferre cœpit &c.* Denique quod 5. concernit commendationem hujus facti in textu Maccab. expressam, verba textus commodè ita possunt intelligi: Quod sit pia & sancta cogitatio, statuere his, qui cum pietate obdormiverunt, optimum repositum esse χαριστήριον, uti existimat *B. Gerhardus*; & quid si ad textum planè non pertineant, sed sint *glossema* quoddam *adjectitium*, quod ex margine in textum irrepsit; certè historici est narrare rem, ut gesta est, non autem suam interponere ἐπίκρισιν. Imprimis verò *Xantes Pagninus* testatur se verba illa in avtographo non reperisse. Quibus ita se habentibus nihil ex loco Maccabaico probari posse facile patet.

§. XVI.

Quod verò attinet trigam dictorum ex Canonicâ N. Test. Scripturâ à Papistis in hâc controversiâ, plura inter alia, citari solitorum, nihil certè minus illa, quam quod intendit Romano-Catholica suffragiorum Caupona, probant. *Non militat* pro purgatione animarum Pontificiâ *1. Locus Matthæi c. 12. 32.* Peccatum in Spiritum S. non remittetur neque in hoc neque in futuro seculo; Ex quo colligunt: E. quædam peccata remittuntur in futuro seculo, non autem in cœlo, quia ibi nullâ indigent remissionem, neque in inferno, ex quo nulla redemptio, E. in purgatorio. Nihil verò ad rem facit dictum hoc Matthæanum *1. quia locus parallelus* Marci, phraseologiam Matthæi dilucidè explicat hisce verbis: *Non habet remissionem in æternum, sed obnoxius est æterno judicio.* Verba igitur Matthæana nihil aliud volunt, quam quod peccatum in Spiritum Sanctum nunquam remittatur, sed æterno judicio homines reddat obnoxios. Non itaque sequitur E. in futuro seculo datur aliqua remissio. 2. Scopæ quoque dissolutæ sunt, quando colligit *Bellarminus:* in futuro seculo datur aliqua remissio. E. statim ea

con-

contingit non nisi mediante purgatione à Romano-Catholicis confictâ & superius explicatâ; Annon fieri posset, secundum nonnullorum veterum & recentiorum Sectariorum cogitata, ex merâ DEI libertate & immensâ misericordiâ, etiam damnatos vel tandem liberaturâ. 3. Argumentatio hæc Jesuitica purgatorium ignem, prout à Religionis Sociis describitur, non astruit, sed destruit; qui dicunt illum durare solùm *ad extremum judicium*, quod initium est seculi futuri, quando nempe respondere conantur ad dicta Scripturæ à nostratibus citari solita de duobus solùm post hanc vitam, animarum receptaculis, quæ tertium illum purgatorii locum excludant, dicuntque duo illa loca manere post extremum judicium, *cessante tunc purgatorio.* Non itaque purgatorium potest pertinere ad futurum seculum; sed *ad seculum currens*, animasque per mortem separatas, nondum perfectè mundatas, ad minimum ad eluitionem pœnarum temporalium, tremendo rictui purgatorio insinuans & infundens.

§. XVII.

II. Imbellis quoque ex parte Scholæ Romano-Catholicæ, quoad *præsens* negotium est locus Paulinus 1. Corinth. III. v. 13. *cujuscunque opus quale sit, ignis probabit &c.* ex quo colligunt: Si cujuscunque opus probandum est igne, tunc sequitur etiam animarum separatarum opera sive peccata venialia esse extergenda igne purgatorio; imò animas reconciliatas esse liberandas à pœnis temporalibus mediante igne purgatorio, eundem cum vel sine suffragiis abbreviando aut extendendo. Hoc verò quid aliud est, quam fœdissimus abusus Divini Nominis, & Scripturæ Apostolicæ, tanquam fontis vivifici, intoxicatio abominabilis. Nam 1. Apostolus non agit *de igne vero materiali*, materiam combustilem depascente, sed de *igne metaphorico*, de igne quodam DEI, habili ad examen doctrinarum à Verbi divini præconibus & Ecclesiæ Doctoribus fundamento (quod est doctrina de Christo) superædificandarum. vers. 12. Atqui verus & materialis ignis, (qualis est ex sententiâ Scholæ Pontificiæ per supra citata purgatorius) doctrinas probare non potest, impertinenter igitur locus hic allegatur; 2. Juxta contextum Apostoli igni huic subjiciendi sunt *ædificantes*, h. e. docentes in Ec-

Ecclesiâ, verſ. 11. 12. *Ego* (Paulus) *poſui fundamentum, alius autem ſuper illud ædificat, porrò quisque videat, quomodo superædificet, quod ſi quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna fœnum, ſtipulam. Cujusque opus in igne revelatur &c.* Aut igitur in ignem purgatorium mittendi ſoli illi ædificantes ſive ſtylo Papiſtarum, *Clerici*, aut non; ſi prius; E. Laici ferales illas flammas evitabunt, poſt fata demùm meliorem habituri conditionem, quam habebunt Clerici, *ſi poſterius*, E. etiam Laicorum eſt *ædificare*, h. e. Sacram Scripturam legere, aliisque explicare, & eosdem in Veritate Evangelicâ confirmare &c. idque ſine influxu Rom. Pontificis, tanquam capitis viſibilis, à quo uno tamen dependere dicunt ad docendum, vocationem, characteris impreſſionem, poteſtatis abſolutoriæ collationem &c. quod in auribus Scholæ Pontificiæ ingens ἄτοπον.

3. Ignis Paulinus examinat *opera manſura & exurenda, mercedem accipientia & damnum paſſura.* verſ. 14. 15. at verò ignis purgatorius *exurit ſolùm peccata venialia*, habetque pro objecto non exoptatæ mercedis diſtributionem, ſed vindices flammas adhibet animabus ſeparatis propter pœnas temporales peccatorum eluendas, & ſatisfactiones pro peccatis venialibus. Immenſum itaque diſtat ignis Paulinus à fabuloſo illo pyrophylacio expiatorio.

4. Quia Bellarminus fatetur per fœnum & ſtipulas intelligendas eſſe *hæreſes*, ex eo ſequitur etiam hæreticos purgatorio igne eſſe *purgandos, tandemque ſalvandos*, quod tamen cum hypotheſi receptâ Papiſtarum de hæreticis rectiſſimâ viâ in infernum detrudendis, conſpirare non poteſt. Denique 5. Recentiores quoque *Pontificii*, qui poſt Concilium Tridentinum (ſub anathematis pœnâ purgatorium ex hoc dicto ſtatuendum præcipiens) Commentarios ſcripſerunt, confitentur, niſi authoritas Eccleſiæ juberet, ignem hunc de igne purgatorio intelligere, ex ſcopo & verbis Apoſtoli, nihil minus quam ignem naturalem & ſenſibilem, poſſe conſequi; quod *Gabrielem Vasquezium* totâ diſputatione 147. in I. ſecund. Thomæ, & *Guilielmum Eſthium* Comment. in 4. ſentent. diſt. 47. pluribus teſtari, *B. Hülſemannus* docet in Vindd. p. 588.

§. XVIII.

§. XVIII.

Denique III. nihil proficit pro sententia Pontificiorum asserendâ *Locus Matth. c. V. 25.* Non exibis illinc donec persolveris extremum quadrantem. Ex quo Papistæ colligunt, dari quendam carcerem, è quo homines non exibunt, antequam solverint ultimum quadrantem; hunc verò carcerem non esse infernum, è quo nulla redemptio, E. non nisi locum purgatorii. Sed respondemus 1. commodissimè interpretatio hujus loci peti potest, debetque ex ore ipsius Christi, semet explicantis, in loco parallelo Matth. 18. v. ult. Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis suo quisque fratri de cordibus vestris delicta illorum. Atqui ita comparatum est cum irreconciliabilibus, in quorum cordibus ira & invidia dominium exercent, ut, quâ tales, maneant sub irâ DEI; ut, nullâ post mortem purgatione præviâ, in cœlum redire possint; atque à regni DEI hæreditate in perpetuum excludantur Gal. 5. 21. Carcer itaque intelligitur nunquam finiendus, qualis non est purgatorium, sed *infernus*, adeòque tantundem est, ac si Christus dixisset, nunquam exibunt ex illo carcere. 2. Debitor ille in carcerem conjiciendus, propter dominium iræ & invidiæ, adeoq; propter *peccata mortifera* vel instructus est mediis satisfaciendi DEO pro peccatis, vel non; *Si posterius*, carcer ille perpetuus erit, adeoque nihil minus quam purgatorium; *Si prius*, instructus esse debet tanto thesauro propriorum meritorum, ut & justitiæ DEI vindicativæ fieri possit satis, & nullo amplius reatu ex ullo peccato, constringatur, quod, excepto Salvatore nostro, post lapsum, de nemine inter Adamigenas dici potest.

3. Carcerem illum non denotare purgatorium, ex quo egressus, juxta placita Romana, datur, patet ex natura subjecti in illum carcerem compingendi, quod non est *decedens cum reconciliatione* divinâ, adhærentibus solùm peccatis venialibus, sed uti dictum, est is, *in cujus mortali corpore peccatum dominatur*, qui moritur irreconciliatus, in flagrantibus inimicitiis, cujus generis peccatores victimas inferni esse & ex Paulo docuimus, & ipsimet spontè fatentur Papistæ, qui cum à Soto, Bellarmino, Becano. Salmerone tàm perfectè malis, non purgatorium assignant, sed infernum.

§. XIX.

Obſignamus hanc diſputationem teſtimonio *Petri Suavis*, hiſtoriæ de Concilio Tridentino Conditoris, cujus fidem *Julius Cæſar Aquilinus de tribus Hiſt. Concil. Trid.* laudat, qui recenſet, quam timidè *Cardinalis Wormienſis* cum octo *Prælatis* tractaverit negotium de *purgatorio*, verbà ſic habent: *Ex his aliqui de loco & foco purgatorii, ſicut in Concilio Florentino, mentionem factam cupiebant. Alii quod ea res non careret difficultate, nec facili negotio verba inveniri poſſent, ad id exprimendum, quæ omnibus ſatisfacerent, putabant nihil aliud dicendum, quam bona opera fidelium, mortuis ad pœnarum remiſſionem conducere. Archiepiſcopus Lancianenſis admonuit, cum de miſsâ tractatum eſſet, tunc declaratum, ſacrificium illud pro defunctis in Chriſto, nondum ad plenum purgatis, offerri, quibus verbis doctrinam de purgatorio ſatis eſſe definitam, adeòque nihil ultra jam faciendum, niſi ut Epiſcopis imperent ejus doctrinæ prædicandæ, abuſuum tollendorum & ſuffragiorum pro defunctis perſolvendorum, curam.* Hiſtor. Conc. Trid. libr. VIII. p. m. 893. in pag. verò 896. memorat author, quod Oratores Cæſarei circa doctrinam de Indulgentiis, non fuerint concordes, & ſubjungit hæc verba: *Pragenſis tractationem de dogmatis cenſebat dimittendam. At Quinqueccleſienſis dicebat, niſi de hâc re tractaretur, & abuſibus reliquiarum & imaginum & purgatorii conſuleretur, pudendum id Synodo fore.*

Sed hæc, hâc quidem vice, ſufficere exiſtimamus, donec ad dogmata Pontificiorum cum refutatis conſanguinea, puta de Theſauro meritorum Eccleſiæ atque indulgentiis, examinanda, DEO vitam viresque prorogante, occaſio nobis ſubnaſcetur.





I.

ROm fordert allzuviel. † Ihr Regiment ertragen
Das seye nicht genug/ man müsse stille seyn/
Wann Sie mit Fabelwerck die Seele wolle plagen.
Diß bildt das alte Rom/ das neue bildt sichs ein.
Doch weg mit solchem Trotz. Wir bieten ihr die Stirne;
Das Scepter/ das Sie trägt/ die Krone schreckt uns nicht.
So dringt Ihr Fabel-Klang uns nicht mehr ins Gehirne/
Dieweil das Himmels-Wort ihm kräfftig widerspricht.
Du auch/ ô **werther Freund**/ beschämest ihre Lügen/
Du fegst das Fegfeur aus; und zeigst/ dein Seelen-Feur
Bestehe nicht im Wahn. Wir wünschen Glück zum siegen.
Es falle fort durch Dich manch Irthumbs-Ungeheur.

† Liv. Præf. æquum esse putat, cum populus Rom. de origine sua multa fabulosa tradit, ut tàm hoc gentes humanæ patiantur æquo animo, quàm imperium patiuntur.

gratulabundus adjecit
M. JACOBUS PORTZELIUS, Lindav.

II.

BEglücktes Vatterland/ das solche Söhne ziehet/
In welchen sich der Fleiß mit ächten Proben zeigt/
Dadurch dein Ehren-Ruhm biß an die Wolcken steigt/
Und Augspurgs Tempel-Lust in starcken Cedern blühet.

Man kennet noch gar wohl die grossen Gottes-Helden/
Die mit deß Geistes Schwerdt den Feinden obgesigt;
Obgleich der schwache Leib bey Staub und Aschen ligt/
Wird doch die Ewigkeit von ihrem Eyfer melden.

Der Vätter Feuer-Geist ist noch den Kindern eigen/
Und **Spizels** Honigseim triefft von dem **Sohn** herab/
Was **Lomers** heil'ge Lehr vor einen Folger hab/
Muß Augspurgs reine Zahl mit ihren Kindern zeugen.

Herr Tulla lebet noch/ und seiner Hirten-Treue
Kan dorten Ravenspurg im Sohne theilhafft seyn/
Ja/ noch ein andrer Zweig bringt seine Früchten ein/
Und macht deß Vatters Ruhm durch schöne Proben neue.

Du/ angenehmer Freund/ hast schon die Bahn betretten/
Worauff sich dein Geschlecht vorlängst berühmt gemacht/
Wohin deß Bruders Fleiß es höchst-verdient gebracht/
Da wilst Du nunmehr auff gleichen Rosen betten.

Dein Haupt ist allbereit mit hellem Licht umzircket:
Mach nur/ daß künfftig hin dein Ruhm vollkommen sey/
So legt das Vatterland mit Recht die Wörter bey:
Schaut/ wie deß Vatters Geist in beiden Söhnē würcket.

Mit diesen wenigen Zeilen wollte dem Herrn Respondenten/ als seinem Lieb-werthesten Conterraneo, schuldigster massen gratulieren

M. Andreas Mayer/ P. L. C. SS. Theol. Stud. Augustanus.

III.

CRedentes Christi, divinus Apostolus inquit: 1. Joh. I. v. 7.
Purgat ab illuvie peccati sanguis JESU.
Et qui non vivus purgatur sanguine Christi,
Post mortem maculis nunquam purgabitur ille.
Hinc meritò doctè præclarus TULLA refutat
Pluribus ex Sacra Scriptura dogma nefandum,
Quod grex Romanus frustra defendere gestit.

Paucula hæc Clarissimo Dn. Respondenti, Amico suo carissimo apponere voluit

Salomon Schmalzigang/ SS. Theol. Stud. Ulmens.

IV.

Προσδοκέων ἐν ἔρῃ νεκύων τὸ καθάρματα ψυχῆς,
Οὐ καθαρὸς μυρίαισι γένηται εἰνὶ χρόνοισι.
Ἐν Τύλλῃ, κατ' ὅνδε ψυχὴν ἔχε νυνὶ καθαίρων·
Συγχαίρω, πέφρ.. δὲ Θεὸς πάντ' ἄλβια δοίη.

ἕτοι συνήδεται καὶ εὐφημεῖ

Tobias Wasser. SS. Theol. Stud. Oetting.

F I N I S.